



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque

Pallavicino, Sforza

Romæ, 1649

Cap. 12. An ius ad idem possit esse in duobus: & de multiplici diuisione iuris: præsertim de reali, ac personali, & an sint separabilia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39069

CAPVT XII.

An ius ad idem possit esse in duobus: & de multiplici diuisione iuris. praesertim de reali, ac personali, & an sint separabilia.

98. **A**liqui auctores docuerunt, ius ad idem omninò posse esse totaliter in duobus pro eodem instanti. Si enim qui donat, aut vendit non haberet ius tunc in re quam donat, & vendit, non posset de illa disponere, cum dispositio sit actus dominij. Ex alia parte donatarius, & emptor habet ius, & dominium integrum rei in eo instanti in quo transfertur in eum ius integrum talis rei; ergò in eodem instanti ius
 inte-

integrum rei indiuisibiliter est
in duabus personis. Per hanc
verò doctrinam reijciunt ar-
gumentum quo solet probari,
Deum nō posse obligari ex iu-
stitia quia est Dominus omniū
rerum. Possent enim, aiunt, ita
esse Dominus, vt pro eodem
instanti daret alteri, & simul
haberet ipse dominiū. Et quia
actus liber Dei est liber indiu-
sibiliter pro tota æternitate etiā
ad res antea gestas, ideò sem-
per Deus retineret Dominium
illud integrum etiam si rem
ipsam alteri donasset.

99. His tamen non obstan-
tibus dicimus, non posse ius ad
idem omninò esse totaliter in
duobus pro eodem instanti. Ius
enim totale existens in Petro
ad aliquid nihil est aliud nisi
facul.

facultas quam habet Petrus, ut pro sua voluntate possit reddere illud obiectum, ad quod habet ius, iustum vel iniustum. Hac autem potestas non potest esse in duobus. Nam si sola voluntas Petri sufficit ad reddendum illud iniustum, illud erit iniustum etiam repugnante Paulo, qui proinde non posset illud pro sua voluntate reddere iustum, vel iniustum, nec haberet plenum dominium illius. In qua re aduertendum est, dominium & omne ius desumendum esse primario & radicaliter in ordine ad usus physicos. Nam ex. gr. facultas donandi eatenus pertinet ad dominium quatenus per donationem fit licitus donatario usus physicus rei. Donator ve-

rò,

rò, & donatarius (& sic de alijs) habent quidem pro eodem instanti ius integrum vsus phisici exercendi in eadem re, sed in ordine ad diuersa circa illam rem; atque adeò non habent singuli dominium plenissimũ illius. Hoc autem explicatur; quia Petrus donans habet ius disponendi nunc de illa re in alios vsus etiam renuente Paulo, nisi velit donare Paulo rem illam: & quia de facto vult donare, cum non purificetur prædicta conditio, non habet ius absolutum disponendi de re, Paulo renuente. Paulus contra donatarius potest quidem de factò disponere de re prout sibi placuerit; sed non potest id facere in omni casu, ac præsertim sub illa conditione, nisi do-

retur

netur sibi res illa à Petro; cum ergò donans possit solum disponere de re in sensu diuiso donatione, donatarius verò solum in sensu composito cum donatione, non habent ius ad eam omnino.

100. Colligitur ex dictis quòd licet, nec donans nec donatarius sint perfectè Domini rei donatæ; magis tamen propriè est Dominus ille, qui donat, & transfert dominium, quia habet potestatem ad vsus physicos, magis independentem. Denique explicari potest quomodò dominium Dei supremum cõstet cum dominio creaturæ. Earundem nimirum rerum, quarum est dominus Deus, potest esse domina creatura: sed Deus habebit dominium ad eam qua.

quatum, & independens, ut potè potens iustè disponere de re in omni casu citra voluntatem creaturæ, cum è conuersò nemo possit de illa disponere citra volūtatem diuinam: Creatura verò poterit disponere nō in omnes vsus, sed solum in nō veritos à Deo tanquā domino proprietatis; & rursus habebit ius, ut nemo alius possit uti re illa contra volūtatem ipsius creaturæ nisi id specialiter concedatur à Deo, &c.

I O I Ius diuiditur *in reale,*
& *personale*. Quoniam ius vniuersim est potestas reddendi alteri aliquas actiones, vel omissiones illicitas ex proprio placito; actiones vetò sunt à personis, ut ab agentibus, & circa res, ut circa subiecta. Difficile distin-

distingui videtur ius reale a personali: cum omne ius reale obliget personas ad aliquas actiones, vel omissiones, & conuersò omne ius personale obliget ad aliquid agendum, vel omittendum circa aliquas res. Ideo rejicimus eorum doctrinam, qui dicunt promissiones Dei dare nobis ius verum, & rigorosum non quidem personale aduersùs Deum, sed reale in res illas quæ nobis obligantur à Deo. Nam contra est; quoniam res ipsæ, tanquam aliquid inanime, non afficiuntur aliqua obligatione morali proueniente ex motiuo antecedentis promissionis, sed tota obligatio proueniens ex quocunque iure debet residere in aliquo agente rationali; quod
agens

agens non possit licitè aut facere, aut omittere actionem aliquam circa rē illam, idq. ex cognitione præteritę obligationis. Implicat ergo, Deum obligare res pendentes à sola sua voluntate physica, quin obliget se ipsum; licèt fateamur posse Deum, vt supra explicatum est, tribuere vni creaturæ ius in rebus, quatenus eiusmodi ius obligat tantummodo alias creaturas rationales.

102 Vt ergò distinguamus hæc duo iura, dicimus, *ius personale* esse illud, quod ordinatur ad subordinandam vnam personam alteri in ratione agētis, hoc est personæ, non in ratione patientis hoc est rei; cum è conuersò *ius reale* ordinetur ad subordinandas alteri res, vel
per.

personas consideratas vt res,
hoc est in ratione patientis,
quomodo consideratur seruus
dum dicitur esse *res Domini*.

103

Exemplis res pateb

Qui conduxit operarios vt la-
borent in vinea, ius habet per-
sonale aduersus operarios, cum
tale ius ordinatum sit ad hoc,
vt operarij in ratione *agentis*
subordinentur conductori
vt obligentur ad exercēdas ali-
quas actiones circa vineam.
Contra verò, qui est dominus
equi, ius habet reale in illum
equum, ordinatiuum illius e-
qui, in vtilitatem possessoris &
domini. In distinguendo ta-
men iure personali à reali, non
est cōsiderandus finis vltimus,
sed immediatus tantū. Si enim
Petrus promisit Paulo e. g. ve-
stem,

stem, vel aureum; hoc ius est
merè personale, & tamen totū
ordinatur ad hoc vt Paulo ser-
uiat vestis, vel aureus; nihilo-
minus dicitur ius personale
quia per hanc promissionem
subordinatur immediatè in
bonum Pauli, non vestis, quan-
doquidem ex vi promissionis,
nil licet Paulo operari circa ve-
stem, nec vllum inde emolu-
mentum percipere, sed solum
obligatur libertas Petri ad dā-
dam vestem. Quod si vestis ip-
sa vendatur, vel donetur Pau-
lo, tunc immediatè, & ante
nouum exercitium libertatis a-
lienę, vestis illa intelligitur sub-
ordinata in vtilitatem Pauli,
ideòque quæsitum Paulo ius
reale.

104 Discernicula verò ad
distin-

distinguendum à posteriori in
reale à personali sunt plura. Pri-
mum est, quòd ius absolutum
quod aliquis habet ad actionem
positivam alterius personæ
per est personale : Per ius enim
reale, quod ego habeo circa
librum e.g. possum quidem im-
pedire alijs usum libri, sed non
possum facere ut aliquid ope-
rentur circa librū, quod si pos-
sem, tunc esset personale. Aliud
quando tamen ius est mixtum
ex reali, & personali, & tunc
solet esse simul ad aliquid ne-
gativum, & ad aliquid po-
sitivum : cuiusmodi est ius
quod habeo contra empto-
rem ad pretium rei à me
venditæ; Ex vi enim rei meæ
quam recepit, habeo ius ad ali-
quid purè negativum, hoc est

vt

vt illam non retineat pretio nō
soluto: ex vi promissionis mi-
hi factæ; habeo ius ad solutio-
nem pretij, quæ est actio posi-
tiua.

105 Addimus tamen, quod etiam ius ad omissionem est personale quando est vagū ratione rerum, determinatum ratione personarum. Imò asserimus vniuersaliter loquendo, quod quotiescumq. ius habet inæqualem extensionem ratione rei, & personæ, illud est reale, quod est magis determinatum ratione rei, illud verò personale quod est magis determinatum ratione personæ, vt constare potest inductione.

106 Colligitur ex dictis, non posse alteri conferri ius reale plenum in aliquam rem nisi

ab

ab eo qui habeat ius personae
 le in omnibus personis, hoc est
 à Deo, qui est fons omnis iuris.
 Ad hoc enim ut ego habeam
 ius plenum, ac dominium per-
 fectum equi e. g. debet esse il-
 licitum omnibus personis illi
 equum me invito contrectare.
 Sed non potest quis reddere
 illicitum omnibus personis con-
 trectare meum equum nisi sit
 Dominus omnium personarum
 ergò non potest quis dare
 ius reale perfectum e-
 qui, nisi sit domi-
 nus omnium
 persona-
 rum.

